... ecclesiasticae

... mas

Wlyński Sigism. Alex: S. Thomas Aquinas — in aedibus sacerrimi Ordinis Praedicatorum Cracoviae laudatione publica celebratus.

SANCTUS THOMAS AQUINAS

ECCLESIÆ DOCTOR ANGELICUS
LUCE SUO NOMINI SACRA,
IN ÆDIBUS
SACERRIMI ORDINIS
PRÆDICATORUM
CRACOVIÆ,
PER
M. SIGISMUNDUM ALEXANDRUM
WŁYNSKI,
NOVODVORSCIANUM RHETORICÆ PROFESSOREM, SCHOLARUM CASIMIRIENSIUM SENIOREM.

LAUDATIONE PUBLICA
CELEBRATUS.
Nonis Martii.
Anno ſalutis MDCCLXXI.

CRACOVIÆ
Typis Seminarii Academico-Diœceſani.

HONORI
AC
VENERATIONI
PERILLUSTRIS ac REVERENDISSIMI
DOMINI, DOMINI
STANISLAI CANTII DONATIANI
DOBRZANSKI,
AMPLISSIMI ORDINIS
CANONICORUM REGULARIUM LATERANENSIUM
PER MINOREM POLONIAM ET MAGNUM DUCATUM LITHVANIÆ GENERALIS PRÆPOSITI COADJUTORIS,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS,

PATRONI FAVENTISSIMI,

ORATORII HUJUS OPERIS

NUNCUPATIO.

REVERENDISSIME DOMINE.

Diu mihi deliberandum non erat, cui brevem istam laudum Divini Aquinatis seriem, Innocentia morum, ac singulari Sapientia ejus commendatam, vel invitus inscriberem, cùm eminentem maximae Tuae eruditionis praestantiam, qua plurimos vincis ac superas, ac integerrimae rationem vitae ad omnem recti regulam diligenter exactam, qua concedis nemini, intra me expenderem: Tibi quoq; pluribus argumentis opus minùs fore existimo ad suscipiendam tã aequissimam bene semper affecti in Te animi mei voluntatem, ea, qua soles benevolentia; cùm locum apud Te aliquem, paucis licet ac obviis rationibus meis dandum esse decreveris, quae me ad id honoris Magno Tuo Nomini deferendum officium suavissimè invitarunt. Cujus enim in manibus immortalia Divinae propè Sapientiae Doctoris Angelici monumenta, aut venturis saeculorum temporibus imitanda praeclarissima purae mentis exempla convenientiùs, placidiùs atq; honorificentiùs conquiescere debeant, quam in sinu Tuo ad omnem virtutis gloriam Divina liberalitate comparato, praeter infimum meum judicium, multis Tibi nominibûs obligatum, tot in unum conspirantia vota promptus adducerem, quotquot Viros Sapientissimos, qui Te primò nôrunt, dotum Tuarum illustrium constantissimos, atq; quotidianos demiratores, laudatoresq; complecteris. Praeterea testatur laudatissimam

mam pietatem Tuam ardentissimum cultûs Divini studium, cujus gratiâ hac difficillima rerum nostrarum tempestate nullis parcis laboribus, & exhaustas toties mirum in modum, Caelesti penuriam reficiente Numine, iterum hauris & expendis opes, instaurandis tam magnificè, ut videre licet, Templi Tui splendoribus, ac hominum depellendae calamitati succurrendo. Excellentem verò ingenii perspicaciam, raram atq; solidam omnium literarum peritiam, in publicis privatisq; rebus optimè administrandis prudentiam, gravitatem quandam ab omni arrogantia alienam, affabilitatem in omnes, humanitatem liberalem, animi aequitatem atq; clementiam, non est, quid memorem, iis enim ornatus praesidiis pectus Viri mitissimi atq; Sapientissimi PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI D. LAURENTII JOSEPHI FLORIDI CHMIELECKI, *PATRIS* animò Tibi conjunctissimi, quo meliorem saecula optare non poterunt, possedisti, ac summam totius Amplissimi Ordinis Tui voluntatem conciliasti, ut in tanto lectissimorum Virorum numero, hoc honoris loco, quem retines, unus ex omnibus enitescere mereretis. Fruere ergo bonis omnibus, quibus coeli propitii de se optimè meritos cumulare Viros amplissimè consveverunt, lucis hujus usuram felicissimam, dum non licet in perpetuos, longissimos tamen profer in annos sospes, & incolumis; & de meis in Te singularibus studiis, altam tuam mentem ampliùs abhinc dubitare ne sinas. Vivo certè

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ, PATRONI MEI FAVENTISSIMI,

perpetuus atq; demississimus
Cultor & servus.

A. O.

ORATIO.

NIsi vetustissimæ pietatis hortatu, quam servari integerrimam anno quovis vertente Universitas Nostra sanctissimè studuit, agere mihi semper præclarum duxissem, mentemqué meam non tam è meo, quàm ex ipsius potiùs salutari consilio, omni loco ac tempore dirigendam putâssem: tam profectò parum facilem, suscipienda ista, quanquam maximæ dignitatis plena, fidem meam ac operam habuisset provincia, quàm incomptis ad laudandum verbis, & humilibus me instructum sententiis, coetus Vester amplissimus, locus, aetas, ac præcipuè laus tam ingens repererit. AA.

Et verò; cui non sit perspicuū, quo studiorū genere, quâ excellitate ingenii, qua sapientiæ magnitudine, atq; sublimis eruditionis præstantia ad omnem sciendi gloriam comparatos Vos haberi, ùt re ipsa est, omnino oporteat, quavé latini castitate styli, sermonisq; elegātia me apud Vos dicere conveniens sit: id qui scire cupiat, labore nullo is utrumq; intelliget, si rem animô quasi præteriens, ipse secum semel etiam diligenter expenderit. Vos flores omnis doctrinæ lectissimos in hanc Ædem Augustissimo DEI Unius in Natura & Trini in Personis honori sacram ex ea confluxisse Urbe,

ad quam Viris doctissimis orbe toto venientibus aditus semper patuit, & quæ bonarum æmulatione artium in quibusvis cultissimis nationibus non infimum quoq; nomen promeruit. Aut ætas, quam vivimus, eximia literarum culturâ, pristinam sæculorum memoriam tantò magìs vincens ac superans, quantò uberioribus atq; novis in natura detectis rerum caritatibûs & inventis, quibus in dies sapientiæ famam accumulat, usq; eò eminentiæ, editis immortalibus tot magnorum librorum monumentis: se provectam existimat, ut, quemadmodum summis olim Alexandri victoriîs, ita sui vastitati ingenii universum parvum esse orbem affirmare, nescio, quàm prudenter, nō dubitet ac id ipsum amplissimis, terræ, maris, ac nubium non contenta limitibûs, jam alios pulchriores mundos sibi & incolas vel in ipsis cælestium planetarum corporibus, exstruere, creare, collocare & confingere, jam futurum artis volandi modum expeditum promittere, jam cætera admiranda opera marte suo conficere tam minimè vereatur, quàm maximè ipsam etiam perorantem eloquentiam, si ea oris gratiâ ac decore, quo priscis olim colebatur gentilibus in conspectum venire posset, subtilissimis scriptis suis ac sermonibus convellere, innocentissimum, imò verò magni meriti rem persvasum haberet.

Locus iste sanctissimus, in quo veteri illo ac pervulgato proverbio tot omni veneratione dignissimas maximorum Sanctorum calcari exuvias, quot has aras magnificas quovis die adeuntium moveri gressus à majoribus nostris pientissimis accepimus, quàm exquisitissimis sacros istos parietes cupiat personare laudibûs, quibus ipse äër clausus & ambitus, tot eloquentissimis summorum Oratorum, qui me præcesserunt, aures meas usq; hodie mulcere videtur sermonibûs, quo minutissimis atomorum scatens pulveribûs, amplum templi implens vacuum, modò

fluens

fluens, modò refluens, frontes vestras lambere, manusq; vestras dignissimas osculo quodam humanissimo salutare conjicitur. Oblatus verò mihi publicus hodiernæ laudationis honor, lucem quidem jucundissimam reficiendis & recreandis omnibus totius universi partibus reditu suo rursus natã commemorat, sed eã quã illustri oris sui facundia, laudatissimè in hoc loco versati Oratores singulis retro superioribûs annis ornare felicissimè satis conati sunt, cæterùm ab ineunte anniversariæ laudationis hujus consvetudine in hanc usq; diem, si quid splendidè, sapienter, ac regiè unquam dictum est, ùt revera est, nihil est, nec deinceps futurum erit, quod ad tantae celebritatis fastigium non infrà jaceret.

Nam laudare unum aliquem, qui rarissima sanctitate vitae ad Angelos, ac ingenti ingenii altitudine ad DEUM ipsum proximè accedere crederetur, & qui pene solus inter homines verissimum sapientiae oraculum, Superûm effatum, coelorum lingua, virtutumqué domicilium, dum mortalem vitam ageret, Praedicatoribus, Magistris, Doctoribus, ac per Orbem sparsis florentissimis Scientiarum Universitatibus, Divina disponente Providentia, propositus sit: aut Oratione publica è suggesto ornare eum, pro cujus olim immortali gloria, priusquam inter prima Sapientiae sidera coetui beatarum mentium adscriptus esset, signîs etiam ac portentis Coelum ipsum pugnare ac laborare visum est, hunc qui satìs laudare valeat, non jam eloquentissimis comparandus Viris, sed Angelis ipsis remotiora atque secretiora longè profundiùs scrutantibus erit mihi simillimus. Nomen ipsum inclytissimum, cujus incredibili singularis famae magnitudine nullus vacat locus, excellentissimis & naturae & ingenii ita fulget honoribus, ut qui nudam vocem Aquinatis audiverit, non aliter

 rer

ter praestantissimam ejus dignitatem concipiat; quin re adhuc integra, unum sibi inauditae Scientiae& virtutis prodigium Divum THOMAM proponat.

THOMAM quippe dicere idem est, quod, quidquid pretiosius habent terrae viscera, dignius & nobilius universus orbis pulchrius & jucundius lectissima Sponsa Christi Ecclesia, uno velle verbo commemorare, ita bene & apposite, ut si cui omnino laborandum esset, ut hominem eruditissimum, mitissimum, castissimum, moderatissimum ac piissimum fingat finget perquam aptissimè, si eundem THOMAM esse definiat.

Hunc igitur ego Virum Sanctissimum, in Ecclesia magnum, adeoque orbe toto terrarum celeberrimum oratione inter infimas amandanda aggrediar? hujus immensis laboribus ac infinitis in Scholas, Reges atque supremos JESU Christi Vicarios meritis laudis aliquam affingere partem moliar? sidus istud lucidissimum, munimentum firmissimum, ornamentum maximum illustrare pingere & exornare nitar? toto coelo errare malim, id si faciam.

Factum meum ejusmodi, vel si placet, temeritatem meam, ut gratissimi argumenti locô Vobis fore existimo, ità Vestris etiam gravissimorum judiciorum suffragiîs certo certius comprobandam confido, si, quàm justã ac solidã rationem habeam abstinendi à Laudibus, unà mecum impensiùs cogitâritis. Mea ista cogitatio dicendique vis: date animos AA. BEATISSIMI AQUINATIS INNOCENTIAM MIRARI DEBENT SINGULI; SAPIENTIAM NEMO SATIS MIRARI POTEST!

Duos ego istos rivulos limpidissimo vitae illius fonte deductos in immensum perpetuò excrescentes mare dictioni praesenti contemplandos praefixi, Innocentiam nempe ac Sapientiam, altum earum uberrimum cumulatissimis redundans

dundans ductibûs, nullo pacto metiri volo, aliqua solùm, sicut nautae solent, quae notatu dignissima, in procinctu vitae observavero, non consultò referre non negligam, felix meum navigium ventîs tuis promove Dux Magister optime! ad quemcunque portum signis tuis sub amplissimis deferendum.

Prosequamini benevolentissima attentione Vestra brevem istam non tam Orationem, quàm potiùs excusationem meam, et, si erunt in posterum, qui laborem meum, aut mei similem, minùs bene Divinissimo respondentem Doctori, sive domi, sive foris coarguant, eis meum negotium pro praesentis argumenti gravitate, pro dicentis tenuitate: temporum atque rerum angustiis aequiore animo, exponere, solvere, & excusare, oro, recordemini: ego si non expectationi Vestrae, pietati nihilominus, cujus dicto ùt initiô sum testatus, obedii, rebûs, quibus potero, deservire studebo.

Gratularer mihi plurimùm, si Glicerae feminaé solertissimae imitatus indolem, quae iisdem compositis floribûs, varios atque varios mirificam venustatem spirantes, legere scivit fasciculos, pulcherrimã illã Innocentiae imaginẽ innumeris virtutũ conflatã coloribûs in sanctissimis spectatissimae D. THOMAE vitae, novo quodã & non usitato splendore relucentem moribus, attentissimis Vestris animis contemplandã proponerẽ; sed, cùm mihi justissimè metuendum esse cognoscerem, ne, ùt olim Pausias nobilissimus ejus nominis aevô suo pictor in reddendis penicilli ope eximiis Glicerae laboribus, ego in recitandis Innocentiae Divi THOMAE laudibus, operam totam perditam, laboremq; malè collocatum quererer, munere meo me perfunctum optimè, Vestro etiam arbitratu, intelligam, si virtutis propositae vel à rebus similibus rationem subjiciam. Umbram mihi ejusmodi non obscuris quibusdam indiciis, nobilissimum è terrenis floribus prodit lilium, quod Póëtae celeberrimi

berrimi niveo lacte decidente Coelîs nobis esse natum fabulîs pulcherrimmè fictis non sinè consilio tradiderunt. Coeli profectò singulare donum Innocentiam esse docet is, qui omnibus palàm confessus est, neminem posse continentem esse, nisi DEUS det, & quemadmodum primam ejus originem, ab ipso puritatis fonte proficisci DEO, sic extremam ipsius gratiam ab Eodem pendere, neq; ullius mortalium animam ad ipsius Divinitatis imaginem, quanquam ad ejus similitudinem omnes conditi simus, propiùs unquam accedere posse, quàm, quæ purior, justior atq; innocentior sit inventa. Inde est, quòd; qui moribûs integri, scelerisq; puri, illibatam vitae innocentiam, in diebus suis servaverint, coelitum simul, hominumq; animos bene semper in se affectos, magnete omni potentiùs, in amorem sui pertraxerint, & quemcunq; demum se in locum receperint, eos, tanquam Divos quosdam, non homines sacro natos partu, ipsorumq; coelestem vel in terris vitam fixis in eos oculîs universus suspiciat & admiretur orbis.

Unus ex his Divinis hominibus, ne dicam Angelorum è numero, pudicitiae flos lectissimus, Ordinis Sancti Dominici ornamentum, Henrici VI. Friderici II. Imperatorum, Arragoniae Regum, Hetruriae, ac Ferrariae Ducum delicium, Patrum Aquini illustrium, magnorum Chietti Comitum à clarissimis Normandiae Ducibus descendentium, gemma plusquam pretiosissima, oculorum Lumen, populorumq; solatium, verissimum Innocentiae lilium, Divus THOMAS principe quodam loco commemorandus est, qui rarissimo purae mentis candore aevô suo virebat, florebat, olebat, imò etiam nunc viret, floret ac olet, atq; ita viret, floret ac olet, ut arduum satìs opus sit, tempus ipsum præscribere insigni existimatio-

ni

ni illius, quam de ipsius magnis meritis, atq; incredibili sanctitate summi, pares, ac infimi imbiberunt.

Me judice, si purissimae mentis dignitas, atq; pergrata Innocentiae pulchritudo vel in ipsa D. THOMÆ infantia, humanis posset tangi oculis, iisdemq; clarê innotescere, tam profectò ingens desiderium amoremq; sui incomparabilẽ, in singulis excitaret, tantamq; in oculis omnium inveniret gratiam, quanta ad eã ipsã tenerrimè amplectendam, omniq; contentione & studio custidiendam sufficeret.

Tamen, neq; ita reconditam in cujusquam animo integritatis venustatẽ omnino haerere noverimus, quin haec velut per rimas, frequentissimae svavitatis gratiâ, in corpus etiam innocentis erumpens, jucundissimam suam Majestatem proferat, vultumq; ipsum, dissimulata quadam ac supra modum amabili pulchritudine formae afficiat, hac ratione ex optima compositione morum ad omnem recti honestiq; regulam accomodata, tum ex caeteris signis atq; indiciis occulta animi simulacra notantibus, quae tam Sanctum prodiderunt virum, quantum humana patietur facultas, castitatis magnitudinem arguere atq; pervestigare conabimur.

Et verò natus THOMAS propè sanctissimus, crevit sanctissimus, adolevit, vixit sanctissimus, mortuus quoq; sanctissimus, & priusquam mortuus, vel adultus, vel natus tam plenissimae sanctitatis umbras plures sparsit in locos, ut videre etiam difficillimũ sit, ubi coeperit esse sanctissimus, aut ubi desierit. Nondum praeclarissima vitae ejus aurora Christiano illuxit orbi, nondum nobilissimos suos ortus invexerat, nondum felicissimus tanti viri partus refulsit, nondum magnum Divinissimi

Aqui-

Aquinatis Nomen, claritate sua florentissimas Italiae partes impleverat, Theodorae ipsi Parenti THOMAE lectissimae dies ejus natalis tectus, & ignotus erat, jam futurae sanctitatis praesagia nascituri filii, ore cujusdam solitarii Divinitus prolata erant, Theodoram nempe parituram filium, cui neq; virtute, neq; scientia aetas illa in Orbe parem habitura esset.

Postquam verò felicissimis editus esset in lucem auspiciis, postquam orbe toto illustres ejus vulgarentur natales, postquam pueritiae emensus spatium discretionis annos attingeret, ac liberalissimae institutioni Parentum quinquennis in montis Cassini Coenobio excellentem memoriam, tum sublime afferret ingenium, ac tandem cum tempore, procedente aetate honestissimis omnibus Literarum studiis idoneus redderetur, mirum! quantum in pietatis studio excolendo, ac in caeteris comparandis virtutibus, ad magna gloriae incrementa collimantibus, die quovis profecerit, quamq; futurae sanctitatis spē maximā omnium de se opinioni reliquerit.

Prima ejus vox erat, omnium admiratione dignissima: quid est DEUS? pueriles illius svavissimae atque vulgatissimae nugæ, studium & oratio, constans atq; perpetua consvetudo cum sanctis, nempe cum Ludovico Sanctissimo Galliarum Rege, cum Bonaventura Eminentissimo S. R. E. Principe, vel cum Coelitum, aemulis Benedicti Filiis, vel cum coelestem vitam in terris viventibus, Ordinis Sancti Dominici Fratribus, commoratio ejus in aulis Pontificum, Regum ac Principum, mens in rerum Coelestium contemplatione defixa adumbratam in homine Divinitatis Imaginem considerans, jacta primae Innocentiae lineamenta, tam altis memoriae impressit radicibus, ut omni vitae studio, quae purissima ipsi visa sunt, acriùs atq; multò studiosiùs, quā dici potest, sectaretur,

Con-

Conjicite vestros animos in ludentem cum virtutibus tenuissimo septũ corpore pusionem THOMAM, cujus dentes candiduli, serena facies, venusta supercilia, gestus graves & compositi, gratum in modum eminentes genae, os & labra rubentia, color svavis, ac ipse dulcissimus oculorum conjectus, amaenissimos referebat lepores, in conspectu coetus vestri amplissimi & in auribus omnium tanto numero hoc suggestum ornantium, nutricis sinu forsitan gestientem ferri, oculis ferre vestris dignemini, tacentem, non loquentem, ubera adhuc sugentem non edentem, rationis usu carentem, non ambulantem, sed jacentem, imò repere adhuc nescientem considerate. Literarum rudis, scriptumMariae salutatae ab Angelo advertit humi jacere nomen, flectit in eam partem lumina, nec abinde revocari se patitur, subridet, vagit, quà ploratu, quà pedum, quà manuũ, quà totius corporis motu loco se proripere per vim nititur. Nullum iubit cogitatio, quid cupiat. Objiciuntur elegantes colores respuit; splendida offeruntur munuscula, spernit; dulcia proponuntur poma, recusat; flores, nummos, verborum lenocinia rejicit, cupedias & crepundia aversatur & odit, somnô sopiri non patitur, disrumpit fascias, cunis elabitur, cernuus reverenter procumbit, visam paginam arripit, arreptam in svavissimis osculis & amplexibus vehementer absorbet, & in suis gemitibus è vestigio conquiescit. Quid est? saltem docere velis terris è Coelo creditum pignus charissimum, quod te legere aureos istos characteres fecit? Innocentia, quae in suis visceribus Verbum Patris concepit. Quid est? quod lumen oculorum tuorum in se fixum detinuit. Innocentia, quae ubi adest, ibi omnis turpitudo abest. Quid est? quod tristes lacrymas, moxq; risus amabiles, venustissimo vultu tuo elicuit, Innocentia, quæ non sinè lætitia

prima luce conspicitur. Quid ad motum vim addidit? Innocentia: quae res omnes pulcherrimas maximo suo superavit nitore. Quis oblata deserere, pulchra contemnere pretiosa postponere, universa flocci facere docuit? Innocentia; quae Virginitatis decorem Matris Divinae olim dignitati praetulerat. Quis exilem schedam inquirere, venerari, sumere ac degustare fecit? splendor illius Innocentiae ob quem Virgo Sanctissima tanta vultûs elegantia fulsit, cum viveret, ut ni Fide Catholica clarus ille Dionysius prohibitus esset, visa ejus pulchritudine raptus, eam Deae instar honorâsset. O quàm suavis es Mater DEI purissima! cujus Nomen ipsum THOMAE fuit dulcissimum, ô quàm casta THOMAE viscera! quae hoc Nomen suscipere sunt inventa dignissima! Cogitate interea AA. ego primam THOMAE stupens infantiam jam hìc haereo.

Sed non diu hac in re morari sinor AA. aliò laudabilia gesta THOMAE me provocant, aliò venustates Innocentiae, mentem meam dirigunt, & invitum abripiunt, non me illis subtrahere, non easdem deserere, non ab earum pulchritudine avocari, divelli, neq; procul abesse possum. Amatorem Innocentiae adolescentulum audivistis THOMAM, aurum ejus purissimum multis flammîs probatum jam adultum cognoscite.

Itaq: ducor ego illi similis, qui vehementi subitò abreptus flumine, aspirante à tergo soluta vela promotus vento, praeter alta montium juga praeter excelsas turres, structurasq; magnificas, sylvas densas & asperas, variasq; rerum imagines cursu suo provehitur: gratam Coeli faciem àërisq; tempestatem mutans, aliud atq; aliud terrae littus nanciscitur, sed, quod maris benignitas viarumq; clemens impetus & fortuna tradiderit, & res altera alteram sic ab oculis intuentis eripit, ut admirandam rerum sua serie fugientium visu notare pulchritudinem quid primum sermonibûs accuratè exprimere nequaquam liceat. Vide

Videre mihi videor Aquinatem Diviniſſimum alba veſte indutum, Sacerrimae Praedica torum adſcriptum Familiae, Neapolî Romam, Româ Pariſios adventantis conſpectum Matris declinantem. Legere mihi videor Theodorae literas duobus filiis natu majoribus, Imperatoris in caſtris merentibus, eo nomine ſcriptas, quò modîs omnibûs Aquinatem à propoſito dimovere contenderent. Cerno animô decimum ſupra ſeptimum tum agentem annum, ad domeſticos toto ferè biennio damnatum carceres, ſexcentîs contumelîs, pugnîs dolîs & verberibûs laceſſitum. Jam erumpentes in medium triſtes Parentis gemitus, ſordesq; lugubres, preces, voces, ſingultus atq; ſidera ipſa ferientia ſuſpiria: THOMAM ad plantas ſupplicem provolutum Matris, DEUM primum eſse ac ſupremum Dominum, vocem ipſius elatiorem eſse, quàm cujusquam carnis & ſanguinis, omni, qua par eſt, reverentia reponentem: jam Landulphum & Arnoldum Fratres, indignari, fremere, diras duro & acerbo vultu machinationes minari; THOMAM veniam deprecari, minas ridere atq; inſidias, odium charitate vincere, ac ſuperare. jam Sororem deniq; magna loquendi facultate præditam, ſvaviter perſvadentem verbis & blanditiîs THOMÆ lenire animũ molientem: opes, honores, divitias proponentem: THOMAM, Comitem vocari nolle patrimonio ſatis amplo cedere, DEI ipſius amore puriſſimo ſe contentum, teſtari pal àm audire mihi videor; ſed haec tanquam in curſu ſinè mora praetereo.

Id, quod novum in carcere offendo ſpectaculum? ludor, an non ludor? vana rerum imagine capior, an non capior? unà mecum advertite *AA.* Facies multîs delibuta unguentîs, oculi blandi, frons calamiſtri notata veſtigiis, capilli niveo conſperſi cinere, pretioſis

collum diftinctum lapidibûs, manus odorum afflatae fvavitatibûs, pectus neglectum, amictus mollis, fermo lepidus, quid fignificet? quidvé fibi velit? cum vefte exutam honeftatem & frontem (dicere turpe) fignificat. Invidia plaudit, fcelus exultat, juventutem THOMAE jam ftipulam ficcam, jam foenum aridum, jam pulverem pyrium, incenfu facillimum appellare non dubitat, ita: pulvis pyrius THOMAS, vix enim limina penetrantẽ vidit, pulveris inftar pyrii, repentina inflammatus irâ, è mediis fubtracto ignibus, candente tantam hospitem falutavit lignô. O Te certè hominem inhumanum THOMAM! Imbellem in feminam flammas ftringis & ignes? ita eft: mufcae ferventi aquae non infident, tepida delectantur. Licuit primam falutationem excipere? non: jacitur verbum molle in aurem, non fecus neq; aliter, ac femen in terram. Licuit manum ofculandam concedere? non: fi pilum ex homine fpiritus nequam habere poffit, illum faciet punctô coalefcere in rudentem. At mitis erat: bafilifcus finè ftrepitu folo necat afpectu infirma mulier: quantos leones domuit una infirmitas delicata: parvum eft, momentum aliquod voluptati dare: nihil eft reputandum parvum, ubi Magnus DEUS offenditur. Innocentia prodigitur, aeternitas periclitatur. Flos eft amoeniffimus Innocentia, quem modicus aeftus decoquit, infirmior manus decerpit, remisfior turbo convellit. Speculum nitidiffimum eft, lento halitu obfcuratur, tactu maculam trahit, levi cafu frangitur, decus & pretium amittit. Thefaurus Innocentia eft, femel laefus, femper perditus, dolere de amifso potes, primae tamen Innocentiæ florem recuperare non potes, quô amifso, neq; afsis es ampliùs, neq; teruntii. Abi ergo illuftrior tanta luce impietas, quid confpectum hominum impudens adhuc fuftines? remotiffimas pete tibi

tene-

tenebras, inter ſaxa cum immanibus deliteſce feris, proſtitutum pudorem tuum in inacceſsis circumfer receſsibus, quanquam illud etiam, cave, commiſeris, ne vel illis mundi finibus peſtem feras, extremumq; exitium. Huc adeſte teſtes tantæ victoriæ beatiſſimi Cæli Spiritus, qui in ſignum foritudinis lumbos ejus caſtiſſimos virginali balteô præcinxiſtis. Tu ſpectator certaminis eras DEUS Maxime! tantarum gratiarum copiâ Aquinatem Sanctiſsimum cumulâſti. Vos beati parietes, ſi loquendi vobis data eſset poteſtas, factum illud ampliſsimum prædicâſsetis optimè, me obvia ejus mentio hac in parte ſuſpendit.

Non eſt mearum virium AA. ut pro praeſentis materiæ amplitudine Oratoris perſonam cum dignitate ſuſtineam, non eſt mei ingenii, qui ſatis verbis planum facere poſsim, quanta Doctor Angelicus Innocentiæ laude enituit, deſunt tantae explicandae rei verba ſatìs accommoda, cogitatio mentem deſerit, resq; ipſae deficiunt. Enimvero; Dixerim Innocentiam manna Coeli ſvaviſſimum? THOMAS ſapor ejus erit. Dixerim lac puriſſimum? THOMAS flos lactis ejus erit, florem praeſtantiſſimum? THOMAS jucundiſſimus ſuccus ejus erit, arborem fertiliſſimam? fructus ejus dulciſſimus THOMAS erit, lapidem nitidiſſimum? nitor ejus venuſtiſſimus THOMAS erit, balſamum pretioſiſſimum? odor ejus ſvaviſsimus Angelos ipſos reficiens THOMAS erit, ebur dixerim? nix erit, nivem? ſaccarum erit, ſaccarum? gemma erit, gemmam? aliquid item pretioſius, excellentius & candidius erit, etſi omnia iſta enumerem? aliquid ſemper ſuperaddendum erit.

Quamobrem dicant pro me potiùs horum aliqui, qui ſtrictiſſima cum vivente THOMA ſocietate inita, mores ejus integerrimos longè meliùs perſpexerunt, ego

eos

eos breviſſimè bona veſtra cum venia percontabor. Vos imprimis, quos charitas diuturnô conjunxit ſtudiô, Fratres THOMAE ac Socii, dicite! quid eſt THOMAS? *bos THOMAS.* quid? bos THOMAS; Bovis ei naturam per contemptum tribuitis, qui vos omnes aemulos nobiliſſimo anteceſſit ingeniô? Bovis ei ſpeciem convenire dicitis? qui propter eximiam comitatem morum Vir juſtisſimus appellari meruit? Bovis ei nomen imponendum putabitis, qui ob ſummam Innocentiae laudem Angelus in carne toti mundo fuit habitus? Proh petulantia! erubeſcite, confundimini, linguam turpem frenate, veniam deprecamini, os impurum lavate, ſed, cùm ipſis innocens non ſuccenſet, non iraſcitur, imò parcit THOMAS, nos ipſorum impudentiam altiſſimo caſtigemus ſilentiô.

Aliter longè ac rectiùs tu ſenſiſti Vir optime, ſpectata pietate ac fide plusquam probatiſsime, qui tot annos conſtanter à confeſſionibus Aquinati fuiſti, te poſco, te flagito, vocem tuam requiro, quid eſt THOMAS? *quinquennis puer*: At quo pacto conſcientiæ moderator peritiſſime THOMAS puer vocabitur; qui Vir par ſummis hominibus fuit ſemper creditus? quomodo is annorum quinque reputari poterit? qui tot annos rariſſima Sanctitatis formâ eminuit? Is omnino cum puero conferendus cenſebitur, qui graviſſimos annîs, magnis ſuis meritis ſuperavit Senes? ita porro: quinquennis THOMAS, quia manſvetus, affabilis, humilis, ſimplex ac patiens inculpatae vitae tenorem ita retinuit, ut vix puer innocentior crederetur. Pingere ſanctam humilitatem deſideras THOMA nemo fuit humilior qui ad infima domûs miniſteria ſe abjiciebat ſaepiſſimè. Strictiſſimam auſteritatem conaris exprimere? nemo THOMA in ſe ipſum aſperior, qui propemodum ſinè affectionibus inſitis à natura vixit. Virtutes omnes ampliſſimas comprehendere cupis?

THO-

THOMAS erat perpetua miraculorum ſeries. O Virtutes THOMAE! quò me feſsum rapitis! ſenſus, mentem & judicium auferre mihi videmini. In communi fomite non ſecundùm carnem vivere, virtute naturam ſuperante, corpore in terris, animô in Coeleſtibus converſari, felicitate non virtute ab Angelo differre, ac eo ipſo hominem in Angelum transformari, imò illo longè excellentiorem exiſtere poſse, res admodum captu difficilis.

Magnam, ſpero, jam creditis, de qua dictum eſt, Divi Doctoris Angelici Innocentiam, ejus tamen Sapientia tantò major, nobilior ac illuſtrior eſt, quantò magìs ac impenſiùs ſanctus iſte maximus ab univerſo mundo laudatus toties, à nemine tamen ita fuit laudatus, quin praeſentis argumenti magnitudine eloquentiſſimum quemq; opprimeret.

Duae iſtae Sorores Innocentia ac Sapientia eadem ſolent in ſede morari: Laurentio Juſtiniano avidiſſimo ſcientiarum Juveni Divina Sapientia ſpectabilem ſe praebuit, utq; vitae Innocentiam cum perpetua Virginitate coleret, vehementer perſvaſit: Nazianzeno, utraq; humanos induta vultus apparuit, & alteram ſinè altera vivere vigereq; non poſse aſseruit: in hac tamen & in altera THOMAS ſummè eminens omne tulit punctum.

Non eſt, non eſt, cur proprium characterem inquiram, quo hic Sanctus à caeteris diſtinguatur omnibus hujus enim ſcientia, Sanctitas, ſcripta, actiones ac opera, ſublimes mentis eruditiones cor flammîs pietatis ardens, praeſertim in Sanctiſsimum Menſae Coeleſtis Myſterium pridem illi optimam exiſtimationem compararunt.

Profectò: fingite unum aliquem tam felici ingeniô, tam eminenti & ad ſummum perfectionis provecta ſcientia,

tia, qui reconditos in se Divinarum humanarumque li-terarum thesauros compleсteretur, complexus est THO-MAS. Cogitate unum aliquem, cujus incredibilis sapien-tiae magnitudo jam claustra, jam Scholas, jam univer-sam Ecclesiam, jam vastissimas omnes orbîs partes nomi-nis sui claritate impleret, implevit THOMAS. Quaerite unum aliquem, cujus ore Pontifices, sacrorum rituum Praesides, Universitates, Doctores, utriusq; fori Judices, atq; celebratissima Sanctorum Patrum loquerentur Con-cilia, ore THOMAE loquuntur. Sistite unum aliquem, qui gravitatem styli Ambrosii, profundam eruditionem Heronymi, subtilitatem Gregorii, scriptîs suis doctissimis instaurâsset. qui altissimas scientiae notiones, quarum ter-minus cognitioni humanae nec ipsa aeternitate definiri potest, exhausisset: qui dictantibus saepe sibi Principi-bus Reipublicae Christianae Viris Petro & Paulo scripsisset, docuisset, legisset; instauravit, exhausit, scripsit, legit THOMAS.

THOMAM Doctorem splendidissimum Alexander VII. Divinae mentis Interpretem, Clemens VIII. Athle-tam fidei invictissimum, Paulus V. certissimum doctrinae Christianae Magistrum, atq; quintum Doctorem Ecclesiae Pius V. supremi Christi Vicarii pronuntiârunt. Docto-rum compendium, eruditorum congregationem, Sanctita-tis Curiam, scientiarum profundum, sapientum lumen, Religionis Sacrarium, Musarum domicilium, veritatis O-raculum, humilitatis exemplum, Virginitatis Aram, Do-ctorem Angelicum, missam Coelo Sapientiam, elegantis-simi omnes Oratores dixerunt. Taceo tenacissimam ejus memoriam, cui nihil peribat, spiritûs acrem perspicaciam cui nihil erat impervium, ingenium ad id unum natum, ut quodcunq; aggrederetur, perficeret, capacitatem ma-ximam Magistrorum praevertentem praecepta, studium di-

ligen-

ligentiſsimum ſub D. Adalberti Magni inſtitutione probatum: cui docentis, non reſpondentis videbatur obtinere locum, honores, laureas & caetera magna ſapientiae monumenta taceo, innuere paucis ſufficit: cum pergente, pergere, cũ ſcribente, ſcribere, cum legente legere, cũ docente docere, cum loquente loqui, manducantem, tacentem, otiantem, imò etiam dormientem THOMAM nusquam deſerere Sapientiam. Ponite vobis ob oculos dulciſsimae refectionis gratiâ lautum illud convivium, epulasq; magnificas, Ludovici Magni Galliarum Regis Chriſtianiſsimi juxtà, ac ſanctiſsimi, regia verè paratas munificentiâ, menſas multas, ac opiparas, exquiſitiſsimis inſtructas ferculîs, ac ſvaviſsimis condimentîs refertas vel, ſi ſanctũ abſtinentiae temp9 patitur, quidquid placet, guſtate, libate, laſsas vires reficite: quod ſi Regiae Majeſtatis reverentia, aut inſita à natura modeſtia appetitum cohibet, Regem ſaltem ac Proceres, menſae ſitum, modum ac ordinẽ diligenter reſpicite. Sedet ipſe Rex medius, Regem Sereniſsima cingit Familia, inde Miniſtri, hinc Comites, inde Duces, hinc caeteros ſub ignotis nominibus diſtinctiſſimos hoſpites, ac inter eos etiam Aquinatem Diviniſsimum accumbentem mensae obſervate. Propinantur cibi, miniſtrantur plena pocula, graves aequè ac dulces miſcentur ſales ſermonibus, THOMAS noſter manducat pariter, bibit, atq; ſumma omnium voluntate fruitur. Interea extra ſenſus rapitur, paululùm conticeſcit, moxq; integrae menti redditur, tanquam ſomnô graviori excitatus, tota tandem voce in haec verba prorumpit: *Concluſum eſt contra Manichaeos.* Ubi adeſt atramentũ, quaeritis, abeſt. Ubi calami ad ſcribendũ prompti? abſunt. ubi ſcripta aliqua? vel librorum volumina? ne minima quidem horũ mentio, quî igitur conclusũ eſt? eam etiam omnes ii, qui aderant, mutuis ſecum confli-

ctantes quaestionibûs, rem mirati quidem, sed ne mirati sunt satìs, tanta quippe THOMÆ Sapientia fuit, ut praesentes errores feriret, & absentes attingeret, atque animos secum conversantium detineret, nihilô minus, quàm me modò loquentem & Vos de his audientes detinet.

Hoc tam ingens monumentum gloriae prodidit THOMAS cum summa admiratione omnium, inter dapes regias, inter Viros genere & autoritate illustres, humanitate atq; benevolentia in Principem ac in se certantes, non de eruditionis gloria contendentes, in curia, non in schola, in epulandi non disputandi loco, nec cogitanti, sed otio indulgenti, non disputanti, sed edenti, non advertenti, sed animum relaxanti, & nolenti quàm volenti, potiùs argumentum istud firmissimum excidisse vidistis, quid? cùm de industria, quid? cùm parato animô, in rostris & cathedris, in templis & conciliis altissima, quae non licet loqui homini explicantem mysteria, Sacras Literas ac caeteras difficillimas artes profitentem, pravos vitae solutioris mores liberiùs insectantem, supremam Sanctae Romanae Sedis dignitatem tuentem, impias religiones evertentem, DEI ipsius cultum verissimum promoventem, legeretis, videretis vel audiretis, quid, inquam, de Aquinate dicere aut sentire cogeremini? vestram fidem appello!

Obliviscimini, quaeso, vitam THOMÆ Sanctissimam, pietatem, constantiam, humilitatem, caeterasq; virtutes amplissimas, ipsam etiam Innocentiam, de qua hactenus actum, altissimae oblivioni date, austeritatem in affecta valetudine, contemptum honorum omnium, & quidquid sanctitatis ejus probare potest indicia, removete, tollite, & in alium locum rejicite, omnibus ipsam meritîs ad sanctitatem viam sternentibus, spoliate, private, destituite, doctos labores ipsos relinquite, quos

pro Divino nunquam non suscepit honore, ausim dicere, vel in nuda Doctrina THOMÆ, tantum esse præsidii, ut ad ipsius inter fastos Sanctorum referendum nomen, aureis celebrandâ sermonibus Summa THOMÆ propositâ, nemo pluribûs aliîs argumentîs, reor, opus ullum haberet.

Quamquam mei ne istud ingenii aptum esse figmentum existimatis? meos istos conceptus à dicendi aliqua facultate petitos minimè justos creditis? aut novum aliquod rationum inventum arbitramini? non id mihi sumo, nec id mihi tribuo, neq; vestram ampliùs opinionem ludi dissimulare possum.

Tulit istud oraculum, oraculum dico, nam effatum simplex appellare revereor, Vir sublimi sanctitate conspicuus, sapientia summus, Urbis, totiusq; orbis terrarum Pontifex Maximus JOANNES XXII. qui, cùm causâ Sanctitatis Doctoris Angelici Romanorum more diceretur publicè, ac de ipsius rebus mirè gestis religiosa aequè ac gravissima fieret inter partes contentio, tam præclarè THOMÆ, quàm sapienter sibi, sensum suum aperuit. *Summam THOMÆ tot summa continere prodigia, quot articulos.* Et merito: tantum profectò, si non adhuc plus aevô boni Aquinatis tulit eruditio, quantum nascenti Ecclesiae infinita profuere prodigia. Illa sibi desuper potestate facta in virtute Dei dura hominum molivere pectora, haec deductis à natura principiis cum Divina auctoritate conjunctis rudes aequè ac doctos in cognitionem verae Fidei venire coëgit. Illa augustissimo JESU Nomini Orbem totum parere fecerunt, haec invictis Literarum praesidiîs Regnum Christi firmavit, illa Fidei Christianae officiô DEI cultum auxerunt, haec eidem vitam Fidei inspiravit, atq; iis ipsis armîs, quae

fidelibus olim metuenda erant, hostes omnes accerrimos profligavit.

Recordamini AA. quàm orientis Ecclesiae aetas studium sapientiae semper suspectum habuit, ut Vir ille gravissimus Tertulianus asserere palàm non dubitaret, sapientes quodãmodo àFide aberrantiũ praecursores esse, quia nimiùm eruditi essent, atq; sciendi studiò res etiã Fidei à sensibꝰ alienas, finito naturae lumine scrutarentur :Divꝰ DoctorAngelicꝰ vitiis multis scatentia Sapientũ praecepta saluberrimis ita informavit regulis,ut iisdẽ rationibus, quas pro sua parte afferebant Gentes, ac homines à sincera religionis Doctrina alieni, ad ipsorum interitum commodissimè uteremur. Dictu mirabile! scripsit Sanctus Athanasius contra Arianos, Sanctus Cyryllus contraNestorianos. S. Leo contra Eutychianos. S. Augustinus contra Pelagianos, locuti sunt. S. Gregorius pravos peccatorũ mores usq; eò compellit ubi desit illis quid respondeant, manꝰ DoctorisAngelici contra omnes Valdenses, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Beguardos, Beguinas, Hussitas, Vicleffistas, Lutheranos, Calvinistas, Bezas, Zwinglios, Socinos, Graecos à sinu RomanaeEcclesiae deflectentes, Stateros, Molinos Bajos, Jansenios, Atheos, Deistas, & caeteras impiissimas pestes, ex rerum situ ac ordine, profanorum judicio atq; conscientia, tã feliciter congressus est, ut ipsorũ etiam infensissimorum sibi hostium calculis in amplissimo eruditorum coetu, ipse solus sapientissimus diceretur,

Id turpissimus ille errorum propagator Bucerus, impudenter quidem, sed ad laudem Divi THOMÆ prodidit, qui vesanis suis furoribûs doctrinam THOMÆ solidissimam perpetuò esse impedimento ratus, quidquid Orbis habet in se sanctissimum, se facilè eversurum, extre

extremis suis comminatus clamoribûs modo unus Doctor Angelicus, ac ipsius scripta clarissima è media luce auferantur: *Tolle THOMAM & dissipabo Ecclesiam*, Vir optime! voles mutare consiliũ, concepta pones odia supplicanti Ecclesiæ parces? nõ: *dissipabo Ecclesiã*? At fortasse illa in extremũ permansura Judiciũ, hanc advers9 portae inferni praevalere non poterunt, hanc Divinum Numen perpetuò conservatam fore promisit? non: *Tolle, tolle THOMAM & dissipabo Ecclesiam*. O vermis ò tinea! versa tuum, ùt potes, ingenium, mentem dirè nocte dieq; excrucia, vires omnes intende, ipsa dum, vis, funde viscera, neutrum horum perficies. Citiùs Coeli splendida extinguentur lumina, citiùs profundissimi arescent fluvii, citiùs universus cum figura sua praeteribit orbis, quàm Doctrina THOMÆ peribit, ipse etiam, ipse citiùs evanesces cum artibus tuis, & momentô deficies, quemadmodum verba ista deficiunt,

Miramini, credo, AA. quid me agat tam præcipitem, quid me tam fortem & audacem exhibeat: quisq; spiritus vehementior urgeat, ut, cum homine perditissimo juratoq; nominis Christiani hoste funestissimo virtutũ omnium excidio, necem rebus sanctissimis anhelante, contendere palàm non verear: stimulos istos tribuite, quibus usq; configor, incomparabili THOMÆ Sapientiæ eò, quæ adhuc Viris omnibus eruditissimis, quos superior suspexit tempestas, eminentior est, quòd non tantùm ab invitis hominibus justas laudes extorqueat, sed, quod nemini antè datum est, Coelis etiam ipsis plaudentibus suum probet ingenium praestantissimum. Quis est iste, qui Doctrinã THOMÆ definivit rectissimã? quis? qui Doctoris scripta adamantibûs eò magìs nitentibus quò magis solida sunt, similia gravissimo confirmavit edi-

cto?

ctô quis publica luce atq; maxima approbatione omnium censuit esse dignissima? Sanctarum Virginum an Confessorum coetus? non: purpuratorum Christi pugilum, an Doctorum consessus? non: Divorum Vatum, an duodecim Ecclesiae Principum collegium? non: Virtutum aut Dominationum ordo? non: Ministrorum Dei Spirituum an quisquam beatarum mentium? non: Dominus dominantium, Princeps Sanctorum omnium, Splendor, Imago, & Figura Patris, Lux, Via, Vita, ac Veritas integerrimos THOMÆ subscripsit labores: *Bene de me scripsisti THOMA.*

Audis natura & ratio? sentis terrena sapientia? si verè sapientia dici potes. Divinae Veritatis autoritas, quae nec falli, nec fallere potest, tibi loquitur: *Bene de me scripsisti THOMA.* Bene scripsisti THOMA! de obscurissimis Fidei meae articulis, de Sanctissimis Religionis institutis, de Redemptionis pretio, de futurae vitae praemio, de extremo Judicio, damnatorumq; locis ac poenis, de rerum omnium sanctissimarum dignitate, ac potissimùm de augustissima sacrosancti Corporis ac Sangvinis Majestate, bene scripsisti. Bene scripsisti THOMA contra Deorum multum numerum admittentes, contra negantes immortalem animarum vitam, contra tollentes piaculares post mortem flammas, contra liberos impunè per omnia grassantes flagitia; contra omnes vaferrimos legum mearum contemptores bene scripsisti. Bene scripsisti pro Magistris & Doctoribus, pro literatis ac rudibus, pro senibus & juvenibus, pro fortibus & debilibus, pro Ducibus & militibus, pro divitibus & egenis, pro populis ac Principibus, pro privatis atq; Magistratibus. *Bene de me scripsisti THOMA.*

Quid tu cogitas ô Sol Coeli? Planetae ac sidera? quid grandines, rores, nives, & fulmina? quid arbores plantae, herbae & gramina? quid volucres, bruta, pisces

&

& lapides? quid naturae prodigia? quid Vos ipsi AA. de excelso THOMAE ingenio suspicamini? ego mecum sic arguo: Bene scripsit Aquinas de Divinis Nominibus, de humanis quantò melius? clarè scripsit de mysteriis Christianae Rei, solo Fidei lumine notis, quantò clariùs de rebus sub sensum cadentibus? certò de DEO rerum Autore omnium, quantò certiùs de sideribus, brutis, Angelis, aut hominibus? haec est mea illatio: sed, si quaerere ex me volueritis, quid sit istud melius, clarius, aut certius? scio ista, & nescio, capio, & non capio, fluctuat mea responsio, nam mirari THOMAE Sapientiam nemo satìs potest, quis de ipsa dicere? tota mea ratio, Oratio atq; peroratio.

Usque eò liberiùs tota mea ab initio processit dictio AA. ampliùs si juberer, cogerer, & per summum nefas ducerer, non progrediar, quasi enim murus quidam impervius imago mihi Aquinatis Divinissimi opponitur. Angelum ego stantem in sole video, volo dicere, Doctorem Angelicum ea specie apparentem, qua olim Religioso sui Ordinis apparuisse ferebatur. Splendet medio in pectore Sol, omnes Orbis in partes aurei ejus pertingunt radii, lumen ejus omnibus manifestum est, sed id mecum agitur, quod in reddenda justa solis imagine peritissimis contingit pictoribus. Aciem oculorum in ipsum figere conor, iterum atq; iterum conor, sed perstringit pupillam, color nullus ad ipsius lumen accedit, qui refulgens, suæ imaginis omnem penitus deleat & extingvat nitorem. Sub translatis tantùm nominibus aliis naturae oculus, aliis pater bonorum omnium dictus est, sed, qui acu propiùs rem attigisse creduntur, imaginē DEI optimè appellârunt, ejus quippe Innocentiae aut Sapientiae tanquam Divinae Majestatis scrutator opprimendus à gloria.

Gloriare igitur Sacerrime PraedicatorumOrdo! gloriare inter Angelos, gloriare inter Doctores, tanto tuo Alumnô! qui Angelica plusquam Innocentiâ & Divina

pro

propè Sapientiâ magnum de ſe dubium ſecuturis olim reliquit temporibus, num terreſtris Angelus, num Coeleſtis homo nuncupandus eſset? Laetare DOMINICE Beatiſſime tanti Filii Pater, inſtitutae per te Familiae peculiarem ac proprium characterem eſse doctam habere ſanctitatem, cujus ſplendor ingens eſt Divinus Aquinas. Non enumero ampliſſima doctiſſimi ac ſanctiſſimi Coetûs Veſtri lumina per Gallias, Italias, Hiſpanias ac Polonias propagata, quorum magnis laboribùs vera Chriſti Religio in novum etiam usq; mundum invecta: de praeclaris Veſtris meritis in DEUM & homines toti, quà latè patet, informando orbi immortalia vitae & Angelicae doctrinae THOMAE monumenta ſufficiunt.

Magnus gloriae tuae nitor efficit Flos & Amor omnium Innocentiſſime atq; Sapientiſſime Doctor, quòd ad laudes tuas caecus efficiar, tuo lumine læſus. Si pauciora haberes lumina, meliùs videreris, ac etiam laudareris ab omnibus. Laus communis eſt: omnes homines ſcientiâ praeſtantiſſimos, omnes locos, omnia demum tempora experiri lumen tuum clariſſimum: lumen doctrinae, lumen quoq; gratiae fac in omnes diffundi, ad videndum Patrem Luminum lumine mentes illuſtrante gloriae.

Solis hujus radios duos Vobis propoſui, alterum candidum, ſplendidum alterum: non ùt Sancti dignitas, non, ùt loci ſanctitas, non, ut aevi ſubtilitas, non, ùt Veſtra autoritas poſtulat, ſed ignoſcat aequitas atq; humanitas: THOMAE enim Innocentiam mirari debent ſinguli, Sapientiam mirari ſatìs poteſt nemo: meminiſse dignemini, cum his verbis veni, cum his quoq; diſcedo, gratias habens Vobis ampliſſimas.

PROGRAMMA
POPISÓW PUBLICZNYCH
UCZNIÓW
LICEUM KRAKOWSKIEGO Ś. ANNY
Z ROKU SZKOLNEGO

$18^{43}/_{44}$.

W KRAKOWIE
W DRUKARNI UNIWERSYTECKIÉJ
1844.